









1772.

3. Bornius: Rhapsodie supplementa. Programme, quo ordinarius senior ecclesie facultatis juris sic et oratorio. Res: memoriam Borusanam indicunt.
4. Bauerus, Hurianus Godfridus: De effectu in fitionis sub tormentis in currito Programme, quo solennia doctorum chynski Sebastiani Kembeckii indicunt.
5. Bauerus, Hurianus Godfridus: Investituram simultaneam sine vasalli consensu impetratam prope nullam esse.
6. Bauerus, Hurianus Godfridus: De modestiorae secundum leges habende.
7. Biedermaan, Ehrenhold Fridericus: De vera sententiarum multitudine sine insanabili ad recess. Sup. nov. 23. § 12.
- 122.
8. Biedermaan, Franzott Rudolph: De visitatione et revisione Camerali tanquam causa regiminis vi potestatis inspectorum instituida.
9. Breuning, Christianus Hur: An honorarii datus in contractibus gratiosis laboris a damno dato restituida.
10. Breuning, Christianus Hur: An census, postquam sciverit factam cessionem, atque ceteris solvere possit?

1772

9. Breuning, Christianus Huer: De actione quatuor-  
pedaria ex Romano, Germanico et patrio jure. 16
10. Breuning, Christianus Huer: An prohibitio patris in  
testamento de non dividenda hereditate cum  
matre coherede impediat divisionem? 17
11. Breuning, Christianus Huer: An dos profectitia pro-  
mota uxore extantibus liberis redeat ad pat-  
rem? 18
12. Breuning, Christianus Huer: De juribus et obligatio-  
nibus mediatorum inter gentes Liberas. 19
13. Breuning, Christianus Huer: An spuria a viro legitima  
in matrimonium ducta macula natiuitatis liberetur 20
14. Breuning, Christianus Huer: An legatum sub conditione  
in alterius arbitrium collatum, si casu impediatur  
conditio, deficiat? 21
15. Breuning, Christianus Huer: An separatio libera  
cum involvat renunciationem hereditatis paterna 22

1772

16. Breuning, Christianus Hues: An mutuum contracti  
possit inter ignorantes?
17. Breuning, Christianus Hues: An iuramentum de ultima  
voluntate non mutetur de omni carcat obligatione?
18. Breuning, Christianus Hues: An rescisso testamento  
per querelam inofficiosi corrucant codicilli testab?
19. Breuning, Christianus Hues: An pater teneatur liberis  
ad mercedem praestendam propter operas praestitas?
20. Breuning, Christianus Hues: An venditor hereditatis  
debitum aditione hereditatis confusum recte  
exigat ab emtore?
21. Breuning, Christianus Hues: An mercedis deminutio  
involvat novationem locationis conductionis?
22. Breuning, Christianus Hues: An statularia portio debeat  
sui uxori, quae cum refractario invito sacerdotali copula  
conjuncta est, licet cum eo postea thorum non ascen-  
derit?

1772.

23. Breuning, Christianus Meer: Quatenus sanctus liber  
a contumacia, si citatus non compareat?
24. Einert, Christianus Gottlob: Definitio alienationis, qualem  
in mutuo fieri dicitur.
25. Einertus, Christianus Gottlob: De incremento, vel altero  
vel fluminis vi, fundo feudali adjecto, tributis sex  
marum uti obnoxio.
26. Einertus, Christianus Gottlob: Observationes juris  
maiori
27. Einertus, Christianus Gottlob: De exceptione veritatis
28. Einertus, Christianus Gottlob: Pro legato consequendo oneroso  
contra heredem ex testamento agi non posse.
29. Franke, Henricus Gottlob: De nexu foederum perpetuae  
unionis inter Augustam domum Austriacam Poloniam  
regnum. Programma, quo ad solennia magistrorum invitatus
30. Hommel, Cordus Ferdinandus, fac. jur. procancelarius  
Rhapsodiae supplementa. Programma, quo solennia Jovis  
Julii Ehrenholdi Frederici Bidermanni indicit.



1772.

1. Hommelius, Carolus Ferdinandus: Rhapsodiae sap.  
flementa.

2. Mullerus & Bismel, Augustinus Fredericus: De probatio-  
ne indelicti ad l. 25 D. de probat. et praesunt.

3. Puettmannus, Tobias Ludovicus Emeritus: De querela  
inofficiosi testamenti patribus atque sororibus  
contra spurios haud competente.

4. Ran, Christianus: Praeclatio juris civis ad l.  
79 D. ad legem Falcidianam.

*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely German, covering the majority of the page.]*



MEMORIA  
B O R N I A M

IN AUDITORIIS

DE

SENIORIS CATHEDRAE FACULTATIS

ORDINALIS

1717





1772, 8.

14

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSA

AN

CESSVS POSTQVAM SCI-  
VERIT FACTAM CESSIONEM AD-  
HVC CEDENTI SOLVERE  
POSSIT

P. 87.

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISEVRG.  
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE IV. APRIL. ANNO CIOIOCLXXII.

DEFENDET

ERNESTVS CHRISTIANVS GOTTLOB  
BREDAHL

LIEBEROS - LVSAT.



LIPSAE

LITERIS RVMPFIIS.



2  
2



RESPONDENTI  
PRAENOBILISSIMO

ERNESTO CHRISTIANO GOTTLOB  
BREDAHL

S. D. P.

P R A E S E S

**Q**uando quidem in eo sis, VIR DOCTISSIME, ut finitis  
Studiis Academicis diligentiae TVAE atque industriae  
rationes publice redderes, cum me eum haberes, quem  
optime testari posse arbitraris, quippe assiduus inter eos fueras,  
qui mea qualicumque doctrina atque institutione utuntur, voluisti  
quoque, ut publicum testimonium in TE comitando ad cathedram  
exhiberem. Quo maior fuit TVA in addiscendis literis, quae  
ad ius pertinent diligentia, quo elegantiores profectus in iuris-  
prudencia fecisti, eo magis TE semper amaui. Et quidni in  
eum lubens cum voluptate summa testimonium dicerem, qui ob  
perpetuam illam consuetudinem, qua usus est et familiaritatem  
de vitae et morum probitate et studiorum elegantia optime testa-  
ri possum. Ab eo tempore, quo ad Academiam accedebas mihi  
com-

commendatus ita semper TE gessisti, ut non potuerim non TE  
vehementer amare TEque ad familiarem amicamque consuetu-  
dinem admittere. Ita hoc iure usus es, ut haecenus me non-  
dum poenituerit, imo magis delectauerit. Quapropter, qui scio  
TE elegantissimum TVAE doctrinae publice editurum respon-  
dendo, qualia iam opponendo edideras, documentum; ita ex ani-  
mo gratulor et TIBI de doctrina et elegantia literarum et speci-  
mine egregio edendo, et mihi vero, cui TE literis, doctrina, morum  
elegancia ornatissimum patriae dulcissimae reddere coniigit felici-  
tatis. Faxit DEVS O. M. ut quae TVA sunt studia sui  
nominis gloriam augeant, patriae prosint, TE omni felicitate  
perpetua cumulatum ornet. Sed hoc abs TE rogo, ut quam  
amicitiae integritatem, amoris copiam praesens mihi exhibueris  
absens seruare velis; de me, quem in amore scis constantem, non  
dubitabis eum futurum, qui haecenus fui. Vale, et Vale felici-  
ter. Dabam Lipsiae d. IV. Mart. c1662. c1662.





AN  
CESSVS POSTQVAM SCIVERIT  
FACTAM CESSIONEM ADHVC CE-  
DENTI SOLVERE POSSIT.



§. I.

Non est, quod dubitemus, rerum omnium, quae in priuatorum bonis esse possunt, venditionem valide fieri posse, neque ab hac regula res incorporales exemptas esse debere. Confirmat hanc sententiam venditio *hereditatis et actionis*. De venditione actionum quaedam praefari liceat, antequam de proposita quaestione dubia agamus. Cum actio, vel ex iure nobis competente, vel ex obligatione ad nos pertinente oriatur, non est dubium, rebus incorporalibus adnumerari actiones. Iam vero cum actiones non sint in dominio, sed dicantur esse potius in patrimonio, dummodo transitoriae sint in heredes, possunt ex patrimonio et bonis vnus transferri in bona alterius, et, oneroso et lucratiuo titulo id fieri posse, nemo dubitat. Sed in actionum alienatione cessionem requirunt Icti, et quae inter alienationem et cessionem differentia intercedat, quaeri potest.

A 2

Faci-



Facile haec diiudicari possunt, si in alienatione titulum et modum distinguimus. Constat in omni acquisitione ante omnia iustum adesse debere titulum: ita in actionibus vel donationis et liberalitatis titulo, vel oneroso, ut emtionis, acquisitio fieri iuste potest. Sicuti vero emtio venditioque nudo consensu in rem inque pretium fieri debet, ita in rebus incorporalibus, qualis est actio, nihil nisi consensus in actionem acquirendam et pretium requiritur. Absolvitur vero in rebus corporalibus venditio rei venditae traditione, ita in locum illius, quum res incorporales tradi nequeant, in incorporalibus quasi traditio, quo et referri potest cessio, adhibenda. Perfecta itaque actionis venditione emtor tantum consequitur ius in personam venditoris, contra quem emti actione agere posset, ut venditam actionem cedat. Cessione itaque actionis nondum facta emtori nullum ius erit agendi contra debitorem, in quem actio vendita est. Hac vero facta, recte agi contra debitorem poterit.

§. II.

Neque vero negligenda est pretii iustitia, quae, uti in omni venditione atque emtione observanda, ita quoque in venditione actionum, quoties ea detur ad certam quantitatem exigendam. Imo maiori cura ea pretii iustitia observanda imposita est *Lege Anastasiana* ad improbitates eorum reprimendas, qui aliorum bonis inhiabant sibi que inde lucrum quaerebant improbum. Constituerat itaque ANASTASIVS *L. 22. C. mand.* ne ultra pretium solutum emtionis emtori adversus debitorem cessum actio detur, quem iuris rigorem postea IVSTINIANVS in *L. 23. C. mand.* auxerat, ut prohiberet, ne pro parte vendere, pro parte donare actionem liceret, ne Anastasiana legi fraus fieri posset. At Iura Saxonica, quae quidem Anastasianum ius comprobarunt, non tamen improbant cessionem  
nomi

❧   ❧   ❧

5

nominis minori pretio factam, dummodo non infra dimidium pretii solutum sit, vt patet ex argumento DECIS. *Elect. XXVIII.*

§. III.

Quod si vero cessio actionis legitima facta, cessionarius ius perfectum obtinet, experiundi contra debitorem cessum, vel, vt *procurator in rem suam*, vel *utili actione*, quod beneficium utilibus actionibus conueniendi cessum ex eo rescripto, quod Diu. PIVS in emta hereditate emtori dederat, teste VLPIANO in *L. 16. π. de pact.* extensiuam interpretatione ad cessionarium, cui actio vel nomen cessum, porrigunt. Quae sententia quoque defendi potest ex DIOCLETIANI ET MAXIMIANI rescripto ad Manassam dato in *L. 7. C. de hered. vel act. vend.* Verba haec sunt: *Postquam eo decursum est, vt cautiones quoque debitorum pignori dentur: ordinarium visum est, post nominis venditionem VTILES emtori (sicut responsum est) vel ipsi creditori postulanti dandas esse actiones.* Et ita IDEM AA. ad Iulianum dato rescripto in *L. 8. C. eod.* hanc sententiam confirmant. Rescribunt: *Ex nominis emtione dominium rerum obligatarum ad emtorem non transit: sed vel IN REM SVAM PROCVRATORE FACTO vel UTILIS, secundum ea, quae pridem constituta sunt, exemplo creditoris persecutio tribuitur.*

§. IV.

Rectissime itaque mihi quidem videtur adfirmare BOEHMERVS in *Intrad. in Ius Digest. L. XVIII. Tit. IV. §. 13.* *Non ita perfecte in alterum transferri posse actiones, vt plane a persona creditoris, cuius ossibus inhaerent, auellantur.* Et §. 14: *Manere adhuc cedentem subtili iure dominum actionis.* Haec eo magis vera sunt, vel quod tanquam *Procurator* consideretur cessionarius, quamuis tantum in rem suam, quo facto dominium et ius non omnino cedens amittere potest: vel quod leges tantum *utiles* actiones concedant, quod

eo minus necesse fuisset, si omne, quod habuit ius cedens, ab eo translatum fuisset in cessionarium, ita, ut apud cedentem nihil iuris remansisset. Est pro hac opinione Rescriptum GORDIANI ad Mutianum in *L. 3. C. de nouat. et deleg.* Si delegatio non est interposita debitoris sui, ac propterea actiones apud se remanserunt, quamuis creditori tuo aduersus eum solutionis causa mandaueris (sc. cessione facta) actiones, tamen antequam lis contestatur, vel aliquid ex debito accipiat, vel debitori tuo denuntiauerit, exigere a debitore tuo debitam quantitatem non ueraris, et eo modo tui creditoris actionem contra eum inibere.

§. V.

Facile patet ex his argumentis, cedentem a cesso oblatam solutionem non tantum recte accipere, verum accipiendo liberare cessum, ita, ut, si postea a cessionario conueniatur, exceptione solutionis se tueri possit. Neque negari potest, cedentem, antequam ex cesso iure cessionarius agat, conuenire posse cessum in eum finem, ut non obstante cessione cessus ad solutionem recte possit et condemnari et mixto imperio cogi. Sed haec tantum uera esse putant, vel quoties cessionarius cessionem factam nondum cessionario denuntiauerat, vel si lis nondum contestata a cesso, si a cessionario conuentus fuerat. Vtrumque confirmant uerba *cit. leg. 3. C. de nouat.* Concludunt ergo: cessum simulac a cessionario eidem de cessione facta denuntiatum sit, amplius soluere non posse cedenti cum effectu liberationis. Sed obstat ex parte opinioni huic, quod uerba *all. l.* non de cesso loquantur, sed tantum de cedente. Huic negat lex exactiorem debiti si uel denunciatio facta sit cesso uel lis a cesso cessionario contestata. Quid enim illa conuentio cedentis et cessionarii ad cessum. Ex cessa actione agere quidem potest cessionarius, sed cessus nunquam cessionarii fit uerus debitor, quod uel inde  
 appa-



apparet, cum lex cesso non neget eas exceptiones contra cessionarium, quae cesso contra cedentem competunt, quod maxime adfirmat BRUNNEMANNVS *de cessionis action. Cap. vi. n. 2.* qui tamen non satisfacere videtur legum analogiae, cum putet: cessum nec cedenti soluere debere, si cessionem factam aliunde rescuerit. Puto magis ex conuentione inter Titium et Caium, qui sint cedens et cessionarius, nec ius, nec obligationem Sempromio, qui sit interim cessus, imponi posse. Fac denuntiasse cessionarium cesso factam cessionem: an ideo cessare credat, quod cessionarius dixerit, vel denunciauerit, vel denunciare iusserit: vix id adferam; cessionarius enim in rem suam tunc adferendo cessionem factam, testimonium perhibiturus esset, quod haud legibus conuenit. Cedam, si per iudicis auctoritatem cesso prohibitio facta, quominus soluatur amplius, quod debet cedenti, tunc cessum iure soluere non posse. Cedam amplius, si cedens ipse cesso imposuerit, vt debitum cessionario soluat, tunc ad effectum liberationis nec cessum soluere posse, atque, si a cedente conueniatur, se excusare posse exceptione, quod vel solutio iudicis auctoritate ipsi ad cedentem facienda interdicta, vel quod ipse cedens iusserit, vt cessionario soluat. Neque tamen exinde consequi posse videor, cessum sponte soluere non posse cedenti, quamuis a cedente ipse de cessione facta sit certioratus. Potest enim cesso interesse, ne quod cum cessionario negotium habeat, vt ergo malit sese liberare a solutione huic facienda, cum cedenti soluat. Contra negabit cedens solutionis acceptionem ex eo, quod ius suum in alterum transtulerit, vt ad accipiendum a cesso cogi nequeat. Neque obstat haec nostrae coniecturae opinio SCHILTERI in *Exercit. ad Pand. Ex. XXX. th. 64.* qui putat, *usu fori pest cessionem factam ius nullum penes cedentem remanere.* Est quidem subtilitas iuris ciuillis, ad quam forum respicere non solet;



folet; tamen, cum in cessa actione instituta omnia ex persona cedentis pendeant, ut quae huic obstant, cessionario quoque recte obiciantur, et iure nexus personalis proveniens obligatio, qualis in cessa actione obuenire potest, contractu cum tertio inito, per se tolli nequeat, licet non negem cessionarium agere posse aduersus cessum, sed agere ex persona cedentis, per hunc ad agendum legitimari, ne obici possit exceptio: *Tecum non contraxi*; ita nihil ex his omnibus argumenti loco esse potest, ex quo prohibitum esse dicatur, quo minus cessus, postquam cessionem rescuerat, cedenti soluere debeat.

§. VI.

Graue argumentum putant aduersarii ex eo duci, quod, cum sciret, cessionem esse factam sicque creditori cedenti ius in debitum amplius nullum futurum, videretur tunc *indebite* cedenti soluere, salvo cessionarii iure, qui ad exactiorem cessae actionis nihilominus admittendus esset, quique cessum conuentum et de facta solutione excipientem repellere posset, replicatione, quod indebite cedenti soluerit, sicque tertio indebite facta solutione liberari haud posset a debiti solutione, Videamus, an haec recte! Ego vero haud existimem. Verum quidem, quod intuitu cessionarii cedenti amplius nullum ius in cessum debitum competat, sed cum in cessionem faciendam, ut in delegatione fieri debet, cessi consensus non requiritur, quid ex hac cessione iuris et obligationis retundet in cessum. Debet cessus cedenti centum, an hic ius suum in alterum transtulerit, sua non refert, nisi conuentus litem contestatus fuerit, vel a iudice de cedenti non soluendo debito prohibitio facta. Quare, si cedenti solutionem offerat, huic incumbit officium, quod sciat, sibi amplius nullum ius in cessum atque in ipsum debitum cessum competere, recusandi acceptionem oblatae solutionis debiti, atque


atque cessum commonefaciendi de solutione cessionario praestanda, vel si acceptauerit solutionem neglecto suo officio, cessionario hanc solutionem factam exhibere. Quod si non faciat, dolum omnino committit, qui non imputabilis cessio erit, ut propterea negari debeat, solutionem cedenti a cessio fieri posse,

§. VII.

Quae cum ita sint dubium non est, si solutio cedenti a cessio facta, liberari non tantum cessum ab obligatione, et si conueniatur a cessionario, tueri se posse exceptione solutionis, neque amplius in cessum porrigi debere; sed conueniendum potius esse cedentem a cessionario, ut, quam acceptauerat solutionem, qua impediuerat implementum conventionis et iuris in se translata, sibi cessionario praestet. Ni enim hoc statueremus, dolo lucrum habiturus esset cedens, damnum vero cessionarius, nisi exceptioni solutionis factae contra ius vim negaturi simus, cum nulla ex conuentione et cessione actionis in cessum adsit prohibitio de non soluendo. Hinc absurda videretur conclusio: sibi debere imputare cessum, quod cum cessionem sciuerit, sciens nihilominus cedenti soluerit, ut ad solutionem cessionario adhuc teneatur, et cum sciens indebite soluerit, nec a cedente repetere posse, ob autoritatem POMPONII in *L. 50. ff. de condit. indebit.* qui dixerat: *Quod quis sciens indebitum dedit, hac mente, ut postea repeteret, repetere non potest.* et PAULI in *L. 53. ff. de Reg. Jur. aientis:* *Cuius per errorem dati repetitio est, eius consulto dati donatio est.* Neutra lex ad praesentem causam applicanda, quippe, qui sciens soluit creditori, non soluit ea mente, ut repetiturus sit, sed ut se ab obligatione liberet. Nec Pauli obesse potest autoritas, quippe, si per errorem soluit, nulla potest esse potius repetitio, sed liberatur ab obligatione; ergo si

B


sciens



sciens soluit, potius a contrario concludendum foret, illius dari debere repetitionem. Sed hac actione non vitimur. Nam si forsan iniusta sententia et ad euitandam litem postquam cedenti sciens prius soluerit cessus, soluerit, cessionario, non opus haberet indebiti conditione, quippe in ea instituenda error accipientis requiritur, qui hic ne cogitare quidem potest, qui accipiens potius in dolo versatur, suae cessionis prope gnarus, vt, si repetitio a cedente necessaria, potius conditione furtiua compellendus sit ex causa SCAEVOLAE in L. 18. ff. de Cond. furt. quoniam furtum sit, cum quis indebitos nummos sciens acceperit.

§. VIII.

At, quid! si contra prohibitionem factam a magistratu sciens creditori suo cedenti soluerit? Non nego, tunc conueniendum esse debitorem a cessionario, qui sibi imputare debet, quod auctoritati iudicis non paruerit. Nihilominus tamen non neganda erit repetitio a cedente instituenda. Quamuis enim sciens soluit, tamen propterea non versatur in dolo, quippe se obligatum scit cedenti, et magis liberandi animo soluit, cum se cessione haud obligatum crederet, contra cedens, qui sciens accipit solutionem, cum ne quid amplius in debito iuris habeat, propterea actionem cesserat, versatur in dolo, a quo, ni ex stricto iure, ex aequitate tamen, ne cum alterius damno locupletior fiat dolo, repetitio fieri potest.





Leipzig, Diss., 1772 A-R



f

TA-70L

Nur 23. Stek. bisher versch.





14

1772, 8.

2-87.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSA

AN

CESSVS POSTQVAM SCI-  
VERIT FACTAM CESSIONEM AD-  
HVC CEDENTI SOLVERE  
POSSIT

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE IV. APRIL. ANNO MDCCCLXXII.

DEFENDET

ERNESTVS CHRISTIANVS GOTTLOB  
BREDAHL

LIEBEROS - LVSAT.



LIPSAE  
LITERIS RVMFFIIS.

